

CL. atque ita me dī ament ut ego nunc non tam meapte
causa

laetor quam illiū'; quam ego scio esse honore quovis
dignam.

10 *SY.* ita credo. sed nunc, Cliniā, age, da te mihi vicissim;
nām amici quoque res est videnda in tutum ut conlocetur,
nequid dē amica nunc senex. *CL.* o Iuppiter! *SY.* 690
quiesce.

CL. Antiphila mea nubet mihi. *SY.* sicutin mi interlo-
quere?

CL. quid faciam? Syre mi, gaudeo: fer me. *SY.* fero
hercle vero.

15 *CL.* deorum vitam apti sumus. *SY.* frustra operam opino[r]
hanc sumo.

CL. loquere: audio. *SY.* at iam hoc non ages. *CL.*
agam. *SY.* videndumst, inquam,

amici quoque res, Clinia, tūi in tuto ut conlocetur. 695

nam si nunc a nobis abis et Bacchidem hic relinquis,
senex resciscet ilico esse amicam hanc Clitiphonis;

20 si abduxeris, celabitūr, itidem ut celata adhuc est.

CL. at enim istoc nil est mage, Syrē, mīs nuptiis advorsum.
nam quo ore appellabo patrem? tenes quid dicam? *SY.* 700
quidni?

CL. quid dicam? quam causam adferam? *SY.* qui nolo
mentiare:

aperte ita ut res sese habet narrato. *CL.* quid ais? *SY.*
iubeo:

25 illam te amare et velle uxorem, hanc esse Clitiphonis.